

commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonii deliniret: nec timet, ne, cum plebem munieribus placarit, vos non conciliarit meritis in rem publicam singularibus. Senatus erga se benevolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam: vestras vero, et vestrorum ordinum occurrasiones, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum ablaturum esse dicit. Meminit etiam, sibi vocem praeconis modo defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum. Nunc denique, si haec arma contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta: se nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse, si quidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium, gloriam: esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur: quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in coelum viderentur adscendere. De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, cum omnes a meis inimicis faces meae invidiae subjiciantur; tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et institutos dies. Centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et, ut opinor, altera: qua fines imperii populi Romani sunt: ea non solum fama jam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, labore, quoniam omnibus